Vir Spectatiſsime!

Volumina rite percepi, et pro nova gratia novitus deobligatus sum et ago gratias sin-cerißimas!

Adlaborabo, ut cursu temporis reliqua etiam volumina praeclarißimi Operis Tui coëmere valeam, quo sic seriem integram possideam, non mancam.

Nuper memoravi Sclerotium quoddam; illud nunc benevolae determinationis gratia mitto. At praesumo adcludere aliqua, mihi dubia, exorando determinationem, respective responsum, dum tempus permiserit. — Gratifico me autem Tibi nonnullis Fungis ex duplicatis meis. Plura sequentur ex ulteriori meo studio, nec non dum adparabo exemplaria desiderata pro institutis commutantibus. Ex duplicatis utique haud clare elucescit facies Florae no-strae; et ideo paullatim praeparo conscriptio-

nem pulchrae Florae nostrae.

Pretiosissimis benevolis affectibus ultro quoque commendatus, imo cum venerationis et aestimii cultu emorior

Prenčov 13. Novembris 1897.

Tuus, Vir Spectatissime!

devotissimus cultor

Andreas Kmeť
parochus.